



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Norembergensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Norembergæ, 1523

VD16 K 320

78 Qvo Pacto Hebdomadaria Pecvnia a mechanicis exigatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

summa rei familiaris attritione atq; attenuatione compelli-
tur. Quod si penitus amoueri non potest grauamen , aliquo
saltem fine ad æqui boniq; regulam coherceatur.

QVO PACTO HEBDOMADARIA PECVNIA
a mechanicis exigatur.

Par i modo proxime memorati iudices , quibusdam in lo-
cis a stabularijs , pistoribus , lanijs , propolis , molitoribus ,
eiusdemq; generis mechanicarū artium professoribus , qua-
libet septimana pecuniam postulant : qua forte per inopiam
non soluta , ecclesiastico ad id fulmine adiunguntur .

DE INIQVIS ECCLESIASTICORVM
arestis , ut vocant , & impedimentis .

Non mediocrem item superioritatis & iurisdictionis tem-
poralis iacturam Cæsarea Maiest . Romanumq; Imperium
patitur , ex male obseruata hactenus pluribus in locis , diu-
turna cōsuetudine ; videlicet , q; ecclesiastici iudices , vbi inter
duos laicos ciuilis orta est controuersia , ad alterius partis pe-
titionem literas inhibitorias emittunt , quibus alteri partium
mandant , ne inceptam coram sœculari , seu suo iudice litem
prosequatur , sed in ecclesiastico coram sese iudicio compare
at . Cui mandato vbi pars vocata obtemperat , & se suamq;
causam ad suum ordinarium iudicem remitti in iudicio pe-
tit ; tum primum libellus , articuli , exceptiones , replicæ , dupli-
cæ , &c. id genus scripturæ , vtrinq; producuntur , quibus , re-
liquisq; actis & agitatis , perlectis , numeratisq; potius , q; pon-
deratis , tandem interloquuntur , cōtrouersiam coram se ven-
tilandam esse . Cui sententiae propterea velint , nolint , pare-
re coguntur ; etiamsi maxime ea grauentur , q; appellationem
ad curiam Romanam interpositam , ob immensos , tum la-
bores , tum impensas prosequi nequeant . Neq; enim cuius
commodum est , adire Romam . An vero talibus , similibusq;
sententijs se suspectos reddant , nec ne , cuilibet bono viro
consciendum relinquitur . Vnum hoc certum est , q; ex iam